180 huius paschae beatitudo monstraret, ait discipulis suis: Desiderio
inquit desideravi hoc pascha celebrare vobiscum. Quod ergo magna
est ipsa festivitas, ex hoc possumus intellegere, quia dominus ipse desiderio
desideravit implere. Post ruinam igitur apostatae angeli beatitu-
do paschae huius desiderabatur ab angelis sanctis, quia per hanc diminutionem
eorum numerum in caelo intellegebant esse complendum in Christo. Desi-
derabatur ab omnibus patriarchis, unde ait ipsa veritas iudaeis:
Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum, et vidit et gavisus
est. Ac si diceatur: Abraham pater vester semper desideravit adventum
filii dei in hunc mundum ad redemptionem humani generis, quam
aliter fieri non posse cognovit. Sed cum ab ipso deo meruit audire
in semine tuo benedicentur omnes gentes terrae, statim intellexit
esse implendum per Christum quod semper desideravit, et gavisus est. Deside-
rabatur ab omnibus prophetis, unde David de futura haec dicit, quasi
de praesenti prophetavit dicens: Haec dies quam fecit dominus, exultemus
et laetemur in ea. O domine, quando veniet dies illa ut salvum me facias.
Non solum me, sed et omne humanum genus. O domine, cito veniet bona
prosperitas ista. Benedictus qui venturus est in nomine domini. Desidera-
batur quoque ab omnibus iustis qui ante fuerunt in mundo haec ipsa sanctissi-
ma dies, sed tempus eius necdum advenerat. Multa quidem antea lex
de eadem festivitate figuraverat, quae omnia Christus in veritate comple-
vit, ut apostolus ait: Etenim pascha nostrum immolatus est Christus. Qui igitur
Christus pro peccata immolatus est, ut nostra omnium deleret peccata, et remis-
sionemque nobis omnium daret peccatorum. Ipse etiam ab aeterna morte
eriperet, et proprium sanguinem fudit, et hominem quem fecerat
ad suam imaginem reformavit, portasque paradisi aperuit, et
omnibus credentibus iter vitae caelestis patefecit. Ideoque cum gau-
dio sanctum pascha domini caelebremus secundum apostolum: Non in fermento
veteri, neque in fermento malitiae et nequitiae, sed in azimis sinceri-
tatis et veritatis. Abiciamus ergo a nobis omnem consuetudinem
et desiderium peccati, ut pura mente mundaque conscientia, tamquam
panes [illegible] digne sanctum pascha domini celebrare possimus.
Verum si concupiscentiam id est fermentum peccati in corde tenea